



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De tentatione cuiusdam viri, consilio virginis à laqueo diaboli liberati. XIX

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT XIX.

*De tentatione cuiusdam viri, consilio virginis à laqueo
diaboli liberati.*

1. **C**uis quidam honestus ac Scabinus ciuitatis Schiedamenfis, grauius à diabolo tentabatur, ad iniiciendum sibi ipsi manus violentas, per suspendium laquei mortis. Habebat autem sacerdotem & capellanum bonum Ioannem nomine, Dei gratia adornatum, qui coram eo missas celebrare, & pro eo orare consueuerat. Quoties igitur eum tentatum nouerat, vix ei persuadere poterat, ne sibi crudelem mortem inferret. Sed cum ille violentie tentationis resistere non posset, nec confessor eius à laqueo suspensionis tentatum cohibere; sacerdos anxius satis de periculo, ad virginem pro consilio accessit, interrogauitque, quid sibi circa tentatum faciendum esset? Tunc illa sciens diabolum non posse sustinere, quòd artes malitiæ suæ verterentur in arma salutis, suasit presbytero, quatenus si tentatus suggestioni diabolicæ resistere non valeret, hoc ei pro pœnitentia iniungeret, quod hostis malignus ad ruinam suggererat.

2. Quo audito, confessor metuens ne perditionis eius causa existeret, non audebat tentato dicere, quod consulcbatur. Illa verò in Deo confidens, iussit, vt in conscientia sui fiducialiter id ageret. Dum ergo quadam vice circa tentatum sacerdos opportunitatem nactus, fecisset, quod virgo consuluit, tentatus flexis genibus gratias egit: quia quod diu desiderauerat, iam tandem obtinere meruit. Statimque domum reuersus, funem trabi applicans, & collo suo circumuoluens, sedem ascendit, vt illaqueatus se suspenderet.

3. Sed ô mira Dei clementia, & ineffabilis diuinæ miserationis prouidentia, qui fallacias diaboli conuertit ad liberationem serui sui, propter obedientiam sacerdotis, acquiescentis consilio virginis Christi. Videntes ergo daemones & invidentes, eum tali morte sibi auferendum, violenter apprehensum cum laqueo abrumperentes dixerunt, Non vos modo suspendetis. Iratque vehementer, post tergum cuiusdam scrinij, inter parietem & cistam eum proiecerunt & intruserunt. Vnde per trium horarum ferè spatium, à domesticis multum quæsitus, & tandem cum omnium admiratione inuentus, non nisi per ablationem cistæ extractus est, ac deinceps mansit à tentatione liberatus.

G.A.